

DISSE^{2.} TATI PHYSIOLOGICA DE MOTU CIRCULATORIO.

Cujus veritatem Deo duce & auspice Dei-parâ tueri
conabitur in augustissimo Monspeliensi Apollinis Fa-
no ab horâ octavâ ad meridiem

JOANNES NAZON Sommeiriensis
Diœcesis Nemausensis, Artium Liberalium Magis-
ter, jamdudum Medicinæ Candidatus & Universita-
tis Consiliarius.

P R A E S I D E

Illusterrimo Viro D. D. FRANCISCO DE SAUVAGES Regis
Consiliario ac Medico, in Monspeliensi almâ Medicorum Aca-
demia Professore Regio dignissimo & Societatis Regia scien-
tiarum Socio meritissimo.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.



MONSPELI,

Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Uni-
versitatis Typographum unicum. 1743.



R. R. D. D.
PROFESSORES REGII.

ILLUSTRISSIMUS D. D. FRANCISCUS
CHICOYNEAU, Cancellarius &
Judex, Regi à Secretioribus Consiliis,
Archistarorum Comes.

DISPUTATURI.

- R. D. PETRUS RIDEUX. Decanus.
R. D. ANTONIUS MAGNOL.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERNE.
R. D. GERARDUS PHITZGERAL.
R. D. ANTONIUS FIZES.

DOCTORES ORDINARII.

- D. CLAUDIUS CHAPTEL.
D. FRANCISCUS COMBALUZIER.
D. CAROLUS SERANNE.
D. THOMAS PITZ-MAURICE.
D. HONORATUS PETIOT.
D. PETRUS TIOCH.
D. PETRUS LAMURE.





ELCISSIMO POTENTISSIMOQUE
VIRO
DOMINO DOMINO,
FRANCISCO-REYMONDO
JOSEPHO
VICECOMITI
DE NARBONNE
PELET,
DOMINO
DE FONTANES

CRESPIAN, VIC, COMBAS, &c
Turbæ Præfecto, Regii Satellitis Legato,
Equitum Tribuno, nec-non Urbis, & Castrī
Sommeiriarum Gubernatori vigilantissimo.

VIR ILLUSTRISSIME,

Jure tibi offeruntur & sacrantur laborum meorum
primordia, huic-ce tamen nudo Operi tantum in Gal-
liâ præfigens nomen meritò vereor nè temerarius ha-
bear. Ast longâ clarissimorum Avorum tuorum quorum
dotibus ad miraculum ditaris serie commotus, cumu-
latissim. eximiarum virtutum tuarum congerie rap-
zus, nec-non tot à te collata in Patrem meum charis-

simum beneficia memori servans animo ad nobilissim
Patroni aras configi , ut grati animi sincerè ob
sequii pignora jam dudùm in votis abdita proderent
in lucem. Felicem me , quod exiguum illud acceptum
volueris habere venerationis testimonium ! Non hīc eg
pro humanitate tuā in laudum tuarum materiem erum
pam , latior est campus quàm ut ipsum peragras
parsum ; Principibus affinem modò laudabo gentilitiam
tuam nobilitatem , bellicam in obsidionibus ac certa
minibus , & in hoc postremo cum fœderatorum exer
citū inito prælio demonstratam decantabo animi forti
tudinem , radiantem in fronte demirabor sapientiam
Curiosior non investigabo quot quantisque ornamenti
nobilissima sanè atquè florentissima tua eluceat Proles
cùm dores suas Castra inter & Ecclesiam partitur
fortes enim creantur à fortibus , nec imbellem proge
nerant Aquila Columbam ; non mirum ergò si dona
plenā manu congerat Omnipotens , & si tot tibi cor
da devincias quot ora vides . Qui - ni mihi vox altior
verbaquè concimiora ad hodierni sculi decus pauci
ab hinc mensibus , magno Regis Populorumque ac præ
cipue per illustris Prosapia tua planctu extinctum , u
aquum est , celebrandum ; ast unum decet Virgilium
Augusti laudes dignè prosequi , attonitus & infan
dum metuens renovare dolorem fileo , meque in alter
num assero ,

VIR ILLUSTRISSIME,

tuum devotissimum
humilissimum & obedientissimum clientem

JOANNES NAZON

DISSE^TRAT^IO PHYSIOLOGICA DE STATU SANO

Præcipuorum humani corporis Organorum.



ORGANA corporis humani præcipua, quæque ex partibus simplicioribus in primâ Physiologiæ parte descriptis, sunt conflata, illa sunt ex quorum functionibus seu motibus manifestis vitam in homine superstitem esse cognoscimus. Tales sunt, *Motus circulatorius*, qui ex arteriarum & cordis pulsu demonstratur, *Motus sensifer*, fibrarum nervearum qui ex sensu intelligitur, *Motus muscularis*, qui ex artuum & aut partium situ mutato, & *Motus respiratorius*, qui ex pectoris ampliatione & constrictione æstimatur. Horum Organorum fabricam & functiones sigillatim exarare suscipimus.

CAPUT PRIMUM:

De Organis & motibus circulatoriis.

Circulatio motus est quo sanguis ex quolibet cordis ventriculo in arterias impell-

litur, & ex arteriis per venas comites ad cordis ventriculos reducitur ad eam viam pressus per totum vitæ curriculum.

Motus ille est ex parte fluidorum itus & reditus ab uno vasorum arteriosorum extremo ad alterum ; & ex parte solidorum est horumce vasorum alterna dilatatio seu diastole & constrictio seu systole.

ARTICULUS PRIMUS.

De Organis circulatoriis.

COR musculus est conoidæus basi vertebbris, apice liber & veluti pendulus, pericardio laxe involutus inter pulmonum lobos molliter situs, dupli cavo seu ventriculo donatus præcipuum circulationis organum.

Ex fibris quemlibet ventriculum componentibus, aliæ cæque numerosiores ipsum obliquè cingunt, quæ contractæ vacuitatem hujus minuunt, & sanguinem exprimunt, aliæ à basi ad ipsius cordis latera rectius protensæ contrahi non possunt, quin parietes hujus ab invicem diducant & cavitatem dilatent, ut sanguini ventriculum ingressuro facilis detur aditus, unde musculi cordis alii *dilatatores*, alii *constrictores* habendi sunt : hos omnes circumligant fibræ ambobus ventriculis yinciendis dicatae. Monet eruditissimus Hambergerus.

Cor habet nervos è triplici fonte, ex octavo scilicet pari cui socius nervulus ex spinâ medullari recurrens adjunctus ex intercostali qui ex singulis intervertebralium partibus sibi ramos adficit, & sursum revertitur, contrà quam

3

fenserant Veteres , demumque ex solari abdomi-
nis plexu nervulum recurrentem detexere Par-
sienses Anatomici.

Arterias habet cordis textus ex ipsâ aortâ
penè valvulas , quæ partim in venulas theba-
sii cordis inhiantes , partim in venas corona-
rias , seu congeneres auriculæ dextræ respon-
dentes sanguinem suum effundunt.

Cuilibet ventriculo sua respondet auriculâ ;
dextra dextro , seu antico , sinistra sinistro ,
vel potius postico , quæ sanguinem ex venis
& sinibus venosis partim accipit , ventriculo
suo refusura. Sua cuique ventriculo respondet
pariter alteria , pulmonaris dextro , aorta sinis-
tro , sanguinem à corde contracto expressum
acceptura. Omnibus his orificiis præsunt val-
vulae tricuspidales tres officio venoso dextro ,
duæ sinistro , quæ sanguinis ingressum in cor
permittunt , regressum è corde denegant ; tres
verò symoideæ cuilibet orificio arterioso , quæ
sanguini è corde exiturienti patent , reversuro
tamen obseruantur.

Ventriculus dexter sexta vel septima parte
capacior est sinistro , ast duplò ferè tenuiori-
bus parietibus iisque laxioribus instructus est ,
auricula quidem sinistra propriè dicta multò
est dextrâ , verùm sinosus inter auriculam &
venarum oscula interceptus hinc & indè ferè ca-
pacitatis est.

Pondus ventriculi sinistri ferè duplum est ,
ponderis dextri firmitas iterum major est ; non
mirum itaque , si majori robore sinister sit
præditus , ut possit per longos aortæ & venæ
cavæ circuitus sanguinem promovere , cum
dexter eum per arterias tantum venasque pul-

4

monis circumducendum habeat.

Arteriæ sunt ductus sectione circulari præditi, ramosi . seu in alios ramos & ramulos successivè divisi , elastici , firmi , pluribus tunicis conflati , pulsatione in viventibus præditi , sanguini à corde ad partes devehendo dicati , duæ verò sunt præcipuae , pulmonaris quæ solis pulmonibus , & aorta quæ toti corpori ne pulmonibus quidem exceptis sanguinem sufficit.

Aorta cum suis omnibus ramis spectata sensim ampliatam sanguini tranaturo offert , (98) ita ut si ejus quadraginta rami primarii , vel immediati cum trunco conferantur , horum omnium sectio seu apertura sit unâ decimâ parte major ipsius trunci orificio. In ramis verò secundi ac tertii ordinis major adhuc sit amplitudinis ad aortam ratio.

Venæ duæ potissimum ad cor sanguinem revehunt , cava scilicet quæ statim bifariam secta in superiorem & inferiorem dividitur , & pulmonaris quæ ex ramorum quatuor majorum unione conflata saccum vel linum potius quam tubum cylindricum efformare videtur , venæ sunt tubi cylindrici ramosi arteriis ampliores & laxiores , nec non parietibus multò tenuioribus præditi sanguinem à continuis arteriarum finibus acceptum deducturi.

Inter arterias & venas spongiosas quasdam cavitates aut cellulas supposuerant Veteres , quas tamen si panem aut lienem excipias , nullibi ferè detexerunt Anatomici ; his verò cætera quæ ad hanc rem spectant , fusiùs describenda relinquimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De motibus circulatoriis.

SANGUIS circulatur, id est ex cordis utroque ventriculo contracto simul in arterias appensa immisus in larum fines usquè traditur ut unda sequentem undam promovet & ex extremis arteriolis per venulas & venas continuas rursus in cor dederit. Hunc motum ab aliis fortè detectum orbi eruditio patefecit & demonstravit primus immortalis Gulielmus Harveus, Anglus, nonaginta circiter abhinc annis.

Circulationes evincunt injectiones, ligaturæ, vivisectiones, visus ipse in diversis animalibus. 1°. Si tubus præaltus aquâ continuo plenus cordis alterutri ventriculo adaptetur, fluidum arterias subit cum impetu, eas distendit & per venas ad alterum ventriculum revertitur; patet ergo via ex arteriis in venas, quod iterum in mesenterio recens cæsorum animalium, in anguillarum caudâ, in felium auribus ipsis oculis demonstratur. 2°. sanguinem ex corde in arterias emitti, & ex venis redire in cor, docent vulnera alterutris inficita ex quibus tota ferè sanguinis moles effluit, quantum saltem effluere valet citra syncopam, docent transfusiones sanguinis à quibusdam institutæ inter homines & quadrupedia; docet arteriarum post injectam ligaturam intumescencia inter cor & ligaturam facta, & ultrà illum detumescencia, cum phœnomena inverso mo-

do se habeant in venis ligatis. 3^e. Cor contractari septuagesies in minuto docet vivisection, ast valvularum positura determinat sanguinem undeque compressum in arterias & his ad venas & inde rursus ad cor. Si itaque præter unciae sanguinis quâvis cordis systole in aortam mittantur, centum quadraginta intrâ minutum 8400. intrâ horam, tranabunt unciae, & intrâ diem 12600. libræ, quod pondus est 80. ferè vicibus majus totius corporis pondere, adeoque necessum est ut idem fluidum quod à corde fuit emissum in arterias, per venas in cor revertatur, seu circuletur.

Cum semel incepit circulatio sanguinis arterias omnes & venas replet, distendit, adeoque sanguinis massa à corde iterum immissa sanguinem antecedentem habet promovendum usquè in auriculam vix resistentem ut potè retens vacuatam & flaccidam. Est intrâ idem temporis spatium quo duæ sanguinis unciae in arteriam immittuntur præcisè totidem appellant ad auriculas, sed tantum pars hujus quantitatis quæ tempori aut durationi hujus systoles respondet.

Non autem adhuc dum planè constat inter Phisiologos., an totius temporis inter unam systolem cordis & alteram sumpti systoles sola dimidiā partem ut nobis videatur, an verò tertiam tantum, ut Jacobo Kaillio visum est, perseverat. Sit itaque diastroles ejusdem prorsus durationis ac systoles, indè sequetur quod ex duabus sanguinis unciiis quâlibet vice è corde emissi pars dimidia hoc ipso tempore auriculas subeat, reliqua verò diastroles tempore succedat.

7

Ex his planum est quod cum eadem sanguinis copia per arterias intra systolem cordis ac per venas intra duplum temporis intervallum profluat, si pares essent hinc & indè canales sanguiferi, dupla foret in arteriis velocitas sanguinis ejus quâ fluit in venis.

Verum docet anatomia canales venosos ad eandem à corde distantiam esse triplo vel quadruplo ampliores arteriosis, si pulmonares excepteris, & demonstrant Hidraulici quod fluidorum æquali copiâ canalem inæqualis sectionis præterfluentium velocitates sint sectionibus reciprocæ (159) Liquet igitur ex eo solum capite velocitatem sanguinis in venis esse subtriplam vel subquadruplam ejus in arteriis, & simul ex ratione superiùs allatâ, sexies aut octies minorem, calculum accurationem vetat instituti opusculi ratio.

Sanguis itaqùè non continuo fluxu ex corde in arterias, & ex venis in auriculas ejicitur, sed alternis tantum vicibus contracto scilicet corde, nec ex auriculis in ventriculos jugiter sed tantum tempore dilatatiouis cordis illabitur tantum ergo temporis impenditur ad auriculas replendas ac ad ventriculos ipsos & replendos & vacandos.

Sanguis enim appellit ad auriculas & interpolate tantum ventriculos subit & ex ipsis emittitur.

Quantitas sanguinis à corde recens ejecta non potest antecedentis columnam ipsi resistenterem impeteré, quin ad latera veluti diffluat; partes enim fluidorum à minimâ vi impressâ diffluunt ex eorum definitione (128) eadem autem est vis impressa corpori, sive ipsi

quiescenti alterum obviam eat, sive alterum quiescens eâdem velocitate impetat, cum ergo sanguis antecedens minus moveatur sanguine recens ejecto, datur inter utramque actio seu collusio, undè fit nisus ad latera.

Cuicunque tractus arteriosi sectioni ratiocinum illud applicetur, evidens est quod in cordis systole columnna antecedens paulò tardius movebatur subsequentे, nam tempore diastroles cordis sanguis arteriosus urgetur tantum à vasis & accedente systole is urgetur à vasis ut videbimus, & simul à corde, cum autem æquipares ferè sint illæ potentiae, sequitur sanguinem multò fortius urgeri in arterias contracto corde quam eodem dilatato.

Quâ propositione sanguis ex arteriis majoribus in minores truditur cā pariter ratione proper affictus (169) de motu suo deperdit, & magis accedunt ad æqualitatem motus sanguinis antecedentis, & subsequentis, undè actio mutua, seu pressio minor est: actionis enim quantitas æqualis est reactioni, seu resistentiæ, ut fert Phisicorum Adagium, ergo minor successivè fit renixus sanguinis ad latera, minorque proinde vasorum pulsatio.

Ex his sequitur sanguinis è corde emissi in antecedentem esse majorem in arteriis majoribus, minorem in minoribus, ferè nullam in venis majoribus impetum, (175) quod ex pulsatione in arteriis magnâ, in arteriolis minore, in venis minimâ satis evincitur. Nec regerant in venis majoribus quandoque pulsum observari, ea etenim pulsatio constrictioni ventriculorum cordis venas secum constringentis eorumque

alternæ dilatationi , potius quām sanguinis trānantis impetui videtur adscribenda.

Illud iterū evincit nativa hōrumce vasorum firmitas , quæ pressioni sanguinis trānantis æquipar esse debuit , secūs vasa debiliora paucis diebus in immensum excrescerant , cūm itaque venæ tenuiores sint & laxiores arteriis , ut arteriolæ debiliores truncis suis , nec tamen in molem immensam excrescerant , (178) sed figuram nativam usque servent , sequitur renixum & pressionem sanguinis in venis esse minimum , in arteriolis minorem & in truncis arteriosis maximum , seu resistētiæ vasorum proportionalem.

Quò longior est columna fluidi promovenda , eò major debet applicari alteri extremo motrix potentia , verūm quæ aortæ respondet columna sanguinis promovenda duplò longior est quām quæ extremis respondet arteriolis , quæ verò parūm distat ab auriculis est brevissima , ergò maxima initio aortæ minor extremis arteriolis , minima truncis venosis applicari debuit potentia motrix , seu sanguinis impetus ea ratione debuit decrescere.

Immisso in arterias sanguine , sanguis antecedens partim in venas continuas , partim in parietes arteriarum , seu ad latera urgetur ; cūm enim incompressibilis (138) à sequente impetratur vi cordis sufficienti seu majori quām est sui ipsius resistentia , nec ulla moles quiescens æquiparanda sit vi corporis in motu constituti , debet moles sanguinis antecedentis quoquo versum urgeri & diffluere , partim ergò in venas patulas seu in auriculas vacuas , partim in arteriarum flexilium parietes defertur ,

eosque deducit , unde arteriarum diastole , quæ systole cordis est synchrona .

Fibræ arteriarum tūm circulares , tūm longitudinales & elāsticæ extrorsūm diduci non possunt , quin longiores se ipsis evadant , ac proinde quin capacior fiat arteria , si aortæ diameter qui in adultis est linearum decem circiter unâ lineâ excrescat , ut verissimile est , tunc temporis capacitas unâ quintâ parte sui major evadit , cùm peripheria ad undecimam tantum partem excrevit ; quintam itaque , & ut Borellus putat , quartam partem sanguinis è corde emissi retineri in arteriis dilatatis consequens est dūm reliquæ fluant in venas .

Ad fibram vel membranam elāsticam utcumque tensam è rectâ lineâ dimovendam exigua vis sufficit , demonstrante D. Varignon , vis ergò sanguinis à corde emissi poterit arterias systolem passas diducere & extrorsūm flectere , verūm docet experientia quod resistentiæ fibrarum elāsticarum crescant , ut sagittatum quadrata (55) seu quod vis una sufficerit ad unam lineam inflectionis , quatuor ad duas , novem ad tres requirantur , ergò cum ad certum punctum arteriæ diductæ sunt , à vi cordis uniformi & non ulteriùs crescente , ibi debent quiescere , & vires sanguinis immisi æquilibrare .

Constat experientiâ quod quò magis distenditur vel distrahitur fibra & membrana elāstica , eò firmior seu durior evadat ad rupturam usque , ergo quo major erit renixus mutuus sanguinis antecedentis & subsequentis , eo durior , firmior , non tamen pari passu amplior evasura sit arteria pulsans .

Renixus seu actio sanguinis accendentis in

antecedentem est eò major quò quadratam velocitatis prioris majus est quadrato velocitatis posterioris, seu ut loquuntur Phisici, est ut velocitatis respectivæ quadratum. Adeòque si pari passu præcederet sanguis quo alter sequitur, tunc nulla foret inter eos actio, nullus renixus ad latera; si duplò, triplò velocius sequatur ille quem progradientur iste, tunc renixus est quadruplò, non duplò major. Ac demum ut sit in obstructionibus accidente syncope, si velocitas utriusque sit ferè nulla & æqualis, tunc nulla vasorum pulsatio.

Tantùm sanguinis è corde emittitur quantum ex arteriis in venas ejicitur & simul in arteriis cumulatur. Si minor itaque fiat transfluxus in venas ut duplò, & non ex crescere arteriarum dilatatio, tantùmdem minor erit sanguinis in arterias emissi quantitas. Non potest autem suprà diastolem nativam crescere sensibiliter arteriarum dilatatio, quin magnum accesserit cordis viribus incrementum; constat enim experimento ad hoc instituto, quod etiam si carotis aqua immissa distendatur viribus decies majoribus quam sunt vires sanguinis consuetæ, ejus tamen capacitas vix sensibiliter major evadat; nec tamen crepent parietes. (92 & 172)

Magnitudo pulsū in dato homine eò major est quò plus sanguinis è corde immittitur in arterias, & quò minus eodem tempore effunditur in venas. Verùm datâ eadē resistentiâ in arteriis major non potest in ipsas intrudi sanguinis copia quin arteriæ violentius distractantur; nec possunt illæ ulterius sensibili-
ter diduci quin majori vi cor contrahatur, cr-

gò ex cordis viribus aductis repetenda est major pulsatio.

Eâdem datâ cordis potentia motrice , si sanguis majores in arterias offendat resistentias, & indè parcius in venas tranet , major erit quidem sanguinis ponè sequentis in ipsum actio majorque proinde in vasa renixus quem determinare ut arduum & summè necessarium est , ne in errorem frequentissimum studiosi delabantur. Sic autem nodum expedimus.

Si Cani exenterato scindantur in longum intestina, seu aperiantur minimi qui huc appellant per arteriam mesenteriam divaricatam canales sanguiferi, & sanguis aquæ dilutus eâdem vi continuo per truncum ejus mesentericæ arteriæ in ipsam infundatur ex illis ramulis minimis aperiatis non effluet nisi vigesima circiter pars sanguinis qui intrâ idem temporis spatium per truncum transversim effluxisset.

Rem eodem modo se habere , aut quâm proximè in quibusvis aliis aortæ ramis ultimis suadet analogia & facta in aliis locis experientia , undè licet concludere , quod citrâ ullam obstructionem morbosam ex 20. partibus sanguinis quæ possent à datâ vi cordis ex arteriis in venas propelli una tantum propellatur , non secùs ac si tubus arteriosus esset canalis conicus , cuius orificium in arteriolis ultimis intellectum foret vigesima pars orificii basis in corde sumptæ.

His positis demonstrat illustrissimus Danielis Bernoulli Hydrodyn. pag. 260. pressionem parietibus vasis illatam à prætereunte fluido fore semper minorem pressione totali & integrâ quam à potentia fluidum premente possent

experiri, si detur aliquod orificium vel aliquis fluido exitus; sed quo minor est exitus eo circiter minor est differentia inter pressionem actualem & pressionem integrum illam viribus motricibus respondentem, ita ut inito calculo si data plenaria omnium vasorum obturatione pressio maxima vasis illata à corde sanguinem experimente sit æqualis quadringentis v. g. dragmis jam apertâ unâ vigesimâ parte tubi ut de facto in sanis aperta est pressio quam experiuntur vasa unâ quadringentesimâ tantum parte minor sit pressione totali possibili.

Constat itaque quod quæcumque fiat in morbis vasorum ultimorum obturatio, exinde actione sanguinis in vasa major evadere non possit nisi unâ quadringentesimâ parte totius pressionis quam cor datis iisdem viribus contractum potest exerere, seu unâ dragmâ.

Constat iterum ex eodem Autore quod si dimidia etiam hujus effluxus seu orificii pars obturetur (ut si obturarentur ad dimidium omnes corporis arteriæ) tunc temporis pressio vasis illata non deficeret a pressione totali possibile, nisi unâ millesimâ sexcentesimâ totius parte, seu augmentum pressionis vasis illatum foret una 1600 pars totius pressionis possibilis ut in hoc casu æuali granis sex.

Ex his concludendum datur quod datâ eadem cordis motrice potentia, pressio vasorum à sanguine facta propter obstructions unius quartæ partis orificiorum, seu ipsa fibrarum vasis elongatio (59) sit tantum solita major unâ nonagesima parte, & in vasis obstructis capacitas seu sectio erit ad sectionem ante obiectus 810. ad 808., id est major una parte to-

Cius quadringentesima quinta parte.

Sequitur iterum quod cum pulsus notabiliter obstructionibus vasorum aut cordis viribus adauctis effectus ille potest adscribi, tunc temporis incrementum sensibile viribus cordis debent tribui, quia effectus causis suis respondent; unde liquet quod si in irâ aut simili pathemate pulsus crescat frustrâ ad obstrunctiones configitur, ut hoc phanemon explicetur. Sed è diverticulo in viam revertamur,

Omnes simul arteriæ pulsant; docet experientia saltem in arteriis quæ palpè possunt simul explorari, nec audiendi videntur illi qui alio tempore descendantem quam carotides & istas quam arterias pulmonares contendunt de quibus in actio Edimburgensis Academiæ. Docet & ratio, cùm enim sanguine plenæ sint omnes arteriæ, coque incompressibili, non potest basis columnæ in aortâ premi, quin simul premantur omnes columnæ sanguinis in ejus ramis contentæ; ast ex hoc impetu fit pulsus, ergo in arteriis iis debet eodem tempore fieri.

Crescente diastole crescit anteriorum distractio, adeoque, ut omnibus Clateriis soleme est, resistentia undè brevi fit æquilibrium, adde quod expulsione corde duabus quas continebat circiter unciis, cor etiamsi contractum remaneret non premeret ulterius sanguinem, ergo minuitur statim vis vasa diducens quæ par repetitos infinitè parvos cordis se contrahentis nisus, increverat.

Verum hac est corporum omnium elasticorum indoles, ut decrescente vi quâ distracta fuerant, ipsa in pristinum statum revertantur

quem eodem temporis intervallo & perfecta recuperant elastica, tardius vero vel nunquam eamdem, si imperfecta, debent ergo vasa elasterio suo, jam finitâ systole cordis contrahi & sanguinem datâ porta exprimere.

Dari corpora finitæ magnitudinis perfectè elastica repugnat experientiæ & optimorum Philosophorum rationibus, & si vasa animalium solo elasterio perfecto se se restituant, cum omne perfectum in eodem genere æqualis sit, sequeretur vasa fætûs mobilissimi æquè perfecta elastica esse, quod absurdum est. Quod deficit itaque ex parte elaterii illud supplere videtur nixus quidam tonicus accessorius.

Hujus itaque tonici motûs ope crediderim contractionem alternam æquali spatio perfici & fortè intrà tempus idem quo præcedens facta fuit dilatatio in statu vitæ, tûm sano, tûm morboſo permanente. Cum autem è febre in apyrexiam fit transitus, tunc certè necessum est aliquot dilatationes prægressis constrictiōnibus inæquales esse secùs nulla fieret mutatio.

Cum autem uno eodem cordis impulsu omnia simul vasa corporis, ast sensibiliter tantum arteriosa dilatata fuerint simulque in omnibus simul cessaverit cordis pressio & elastica virtus à pressione liberata fuerit, ea simul omnia pari passu contrahenda fore consequens est, ast majora magis & minora minus, dum de arteriosis est quæſtio. In quibus scilicet sensibilis est differentia velocitatis inter sanguinem retro ſequentem, à quâ ſolâ differentiâ pendet actio respectiva, ut docent Physici.

Contractis omnibus simul arteriis & vasis, cæteris non ampliatis sanguis tum antrosum,

tum retrorsum propellitur, imo fortius nititur in orificium cordis arteriosum, ut potè in viam magis patulam, ast regressui obstant valvulae ipso sanguinis regressu convenientes, obstat & in venis per quas sanguis verticaliter ascendit valvula multiplex quominus in arterias revertatur, etiamsi pressus à vicinis partibus, ergo sanguis in orifica venosa cordis protruditur, aut in sinus & auriculas ibi apponitas.

Implentur itaque continuo auriculæ & facei venosi cum sanguis ad eos appellat jugiter, ergo dilatantur cum omnes arteriæ diastolem patiuntur, nihilque ipsa in ventriculos cordis constrictos possunt emittere, simul ac vero muscularæ cordis fibræ quæ hujus ventriculis dilatandis inserviunt contractæ fuere, & reserata horum ventriculorum penetralia & oricia, tunc pressus undequaque sanguis in auriculis contentus affatim in vacuos illos ventriculos irruit, & duæ circiter unciae intrâ diastolem & systolem congestæ vel hoc ipso diastroles tempore accedentes unico diastroles intervallo infunduntur, aut ut rectius loquar, cum impetu auricularum musculari & aliorum vasorum elasticò projiciuntur. Indè fit cordis diastole, quæ systole vasorum & auricularum est synchrona.

Ex arteriis durante eorum systole non major sanguinis ejicitur copia quam quæ præcise per diastolem excreverant, undè pulsus est ut differentiæ sectionis aductæ suprà sectionem minimam seu constantem; ast in auriculis res alio modo se habet, cum enim nulatenus resistat ex illis effluenti cordis penetralia

lia sponte dilatata, major intra semi-minutum influit in illâ sanguinis moles quam quæ semi-minuto præcedente, seu tempore solius systoles fuerat congesta, nam uncia tantum hoc tempore congesta fuerat, cum tamen duæ simul unciae in cor immitantur, ut prius diximus. Hoc ratiocinium evincit fluxus sanguinis in venis cognita per phlebotomiam uniformitas.

Jam verò non omnia arteriosa vasa venosis inhianint finita certè numero sunt exhalantia sympathica vel serosa per cutem, intestina disperfa, plus peritonæum, pleuvram¹, meninges perforant, docent autem leges Hydraulicæ quod fluidum in illis contentum continuò transfluat, adeòque effluat, ut continuò in omnia colatoria & vasa sanguinis appellit.

Docet iterùm Kaillius in Medicinâ staticâ perspirationem unius diei vulgò ad unicas triginta tres, & urinam ad 38. uncias ascendere, cæteræ ingestorum reliquæ è corpore egerendæ vix sanguinem subeunt. Sed positis vasis venalibus, dico quod quolibet cordis ictuantum per venas appellat ad cor quantum prægressâ systole expulsum fuerat. Cor scilicet pulsat in adultis pulsat septagesies in minuto, ergò 100800. vicibus intrâ diem, adeòque facto calculo, si uniformis foret perspiratio quintâ grani parte, non major foret integra corporis perspiratio quæ unius pulsûs intervalllo perficitur. Tantumdem ergò deficeret moles fluidi ad cor revertens à mole prius egrediâ; verùm docet Sanctoriana observatio corpora sana quâlibet diei horâ ad idem quo priori die pondus reverti sumptis scilicet alimentis

docet observatio Kaillii, tunc cùm maximè respirando amittitur, perpetuâ chylificatione, & crescente chyli in sanguinem transfluxu maximè jacturas resarciri, cùm è contrà parùm chyli in sanguinem devenit, ut digestionis tempore parùm similiter perspirari. Adeòque compensatis hinc & indè singulis liquet æqualem esse molem quæ è corde ejicitur, moli deinceps in ipsam reversuræ. Tàm exiguâ de cætero sunt differentiâ intrà unum & alterum pulsationis intervallum, ut pro nullâ posset haberi.

Ex hoc computo quisquè videbit quâm portentosa sit fluidorum in minimis cutis & aliorum colatoriorum diaphoreticorum vasis tarditas; cutis enim cùm internis pulmonum patietibus superficiem & alesin 165. pedibus æqualem tàm numerosa sunt ex Levvenoeckio vas in cute hiantia ut 125000. pori unius arenæ granulo tegi possint, quorum summa proinde dimidiâ totius superficies partem adequaret, & foret sectione aortæ vigesies millies major, velocitates fluidorum per diversa orificia eodem tempore fluentium sunt ut moles directè & ut orificia reciprocè, ergò ut quinta grani pars est ad duas uncias, seu ut 1. ad 5760. & sicut ut orificium aortæ est ad superficiem perspirantem, seu ut 1. ad 20,000 ita velocitas in minimis vasis perspiratoriis ad velocitatem in aortâ quod est ut 1. ad 115,200,000.

Quanta verò sit sanguinis in aortâ velocitas absoluta non accuratè determinari potest, quippe quæ diversissima sit pro ætate, temperamento, pathematis, &c. Verùm si sup-

ponamus duas sanguinis uncias à corde quovis secundò temporis emitti , cùm tamen intrà semissim pulsationis integræ partem fiat jus constrictio , quandoquidem aortæ sectio , in adultis 80. circiter lineas pertingit , si dividatur hoc numero moles duarum unciarum quæ circiter æquaiis est 5184. lineis cubicis , quoties dabit longitudinem columnæ sanguineæ in aorta cylindrica contentæ seu circiter semi-pedem , & si intrà semi-secundum fiat cordis evacuatio velocitas sanguinis immisæ erit pedis unius intrà pulsationis spatiū & 70. pēdum intrà minutum , quod inquirebamus .

Ex his & superiùs dictis sequitur eam esse velocitatem fluidorum in vasis perspiratoriis quâ minimæ guttulæ pedem unum percurrant intrà tempus 115200000. secundorum seu annorum trium & octo mensium , nisi in calculo error admissus fuerit aut porositatem cutis nimiam assumpserim , quod eruditis indicandum relinquo .

Si fluidi nervei velocitas soli circulatiōni aut cordis & vasorum circulatoriæ tantum contractioni debeatūr , evidens est eam non fore priori majorem , nec proindè cordi iterum contrahendo sufficientem , quæcumque supponatur in organis perfectio & mirabilis fabricat .

Ast nec à sanguine cordis ventriculos diducente in contractionem elasticam invitari posse hunc musculum faciliùs crediderim ; vel enim vis quâ elater se se restituit esset major in ipsum distrahente , quod negant Physici , vel sanguis in arterias non majori vi protruderetur quâ per venas in cor apulit , quod re-

pugnat experientia simul & rationi.

Primo experientia hanc opinionem convellit nam vires fluidorum ex altitudine ad quam motu sursum converso possunt pertingere , verum si tubis arteriæ carotidi canis viventis, similisque simul jugulari ejus venæ , vel crurali ita aptetur ut sanguinem accipiat. Docet numerosis experimentis Halesius sanguinem arteriosum duplo altius ascensurum fore , ergo patet sanguinem venosum tantumdem debilius ad cor appellare quam arteriosum ex eo projici.

Hoc iterum suadet ratio , non potest enim sanguis arteriosus à corde projectus tot vasorum resistentias à firmitate , flexurâ , gyris exilitate , longitudine superare , quin tantumdem de motu suo amittat , imò quin omnem vim acceptam in hoc tempore absumat , ergo sanguis per venas refluxus multò minori vi debet gaudere quam arteriosus.

Si regerant contractionem cordis partim ab elatere parietum sanguine distensorum partim à circulari spirituum influxu pendere , quandoquidem contractio elastica non major esse potest vi expansiva aut lateralis fluidorum transantium , eaque vis in venis sit minima , ut ex effectu seu earum pulsatione minima patet , cumque omnes vires sanguini impressæ non insolis spiritibus ad nervos cordiacos immittendis , nec soli sanguini ad cor redeunti impartiantur ; plurimum enim in affribus superrandis impenditur , indè sequeretur totas vires non esse maiores sui parte , seu partem toti æqualem esse , quod est absurdum , & præterea sequeretur contractionem muscularē cum elas-

ticâ simul in eodem musculo posse fieri ; quod vero non consentaneum videtur ; ac demum sequeretur tunc cum elasteria maximè distenduntur à fluido continuò appellente in ventriculos , tunc maximè ea restitui , quod physici unanimes pernegant.

Quâ vero de causâ redintegretur vis cordis quâlibet perficiendâ systole , hoc hujus loci non est , quippe cum ad musculares motus attineat motus ipsius cordis , hoc tantum notandum velim ; motus cordis non solum à causis physicis occasionaliter intendi , ut datâ sanguini circulanti resistentiâ , quâ proximè deberet imminui , ni præsto foret motrix potentia vires ejus adaugens ; verùm etiam animi pathematis vividis ut irâ adaugeri in languidis ut metu languescere per somnum ubi silent plures animæ facultates perseverare imo non raro invalescere.

Notandum etiam quod licet in statu pacato sanguinis distributio fiat in ratione directâ sectionis vasorum æqualiter inflexorum & à corde distantium & resistentiarum inversâ , intereà tamen hæc turbatur anadosis & in majori ratione versus has quàm versus alias partes crescit sanguinis impetus , ut cum à verecundiâ sanguis genarum non verò colli aut pectoris aut albugineæ membranæ vasa fortius distendit , ut patet ex rubore quo statim facies suffunditur ; patet ex aurium subito calore & tinnitu qua , qui miserabili spectaculo Chyrurgicæ operationis primâ vice intersunt , affici solent brevi servituro animi deliquio.

Circulationis usus multiplex est , hujus etc-

nim motū ope præcavetur stasis fluidi quæ mora spissere consuevit undē tolleretur vasorum motui necessaria flexilitas, ut accidit congelatis. præterea quod potissimum est, diversis continuò sanguis circulatione offertur, ibique excrementitias & putredini tūm concipiendæ, tūm propagandæ aptas deponit, ibi defacatur & purior venis redditur, quidquid secretiones in corpore præstant utilis, quidquid motus muscularis boni producit id totum circulationi primario tribuendum est.

Propter hos fines conservationi corporis necessarios, motrix cordis pótentia nisus suos quovis temporis secundò videtur exsequi, cum respiratio ipsis non natis minima concessa, ternis tantūm, vel quaternis quibusvis secundis iteretur, motus artuum noctes integras cum pluribus animæ facultatibus ferietur. Non mirum itaque si cessante motu cordis mors adsit, & ubi vitalis ille motus deficit brevi sphacelus oriatur.

Circulationis vortices plures in corpore possunt spectari, nec enim pari velocitate quælibet viscera, nec pari modo tranat sanguis; motu quidem generali tota moles sanguinis ex aortâ in cavam, & ex aortâ pulmonari in venam congenerem traducitur; ast est multò facilius breviusque peragitur vortex sanguinis in pulmonibus quàm in reliquo corpore.

Cum enim vasa pulmonaria multum permeabilia sint, ut patet ex injectionibus & eorum vasorum brevitate, vel exigua vis cordis dextri sufficit ad velocitatem magnam eorum sanguini imprimendam, nec tamen major est arteriæ pulmonaris quàm aortæ pulsatio, quan-

doquidem non major est renixus seu reactio, cùm sanguis antecedens brevi viâ in saccum venosum lînistrum liberè exoneretur, parùmque resistat, & prætereà ventriculus dexter debilior sinistro, debiliter ipsum subsequentem projiciat.

Injectiones quæ liberè permeant mesenterium & ipsummet hepar, minimè videantur venas & vesicam tranare, liberè satis ipsius cerebri vel saltem meningum vasa perluunt, ast musculos difficiliùs, citius vasa mesocolica, mesenterica verò tardiùs, ergò circulationis vortices ejusdem ubique velocitatis non sunt, sunt vortices peculiares fætui, pulmonaris scilicet & qui per placentæ vasa perficitur, de quibus agendum est, cùm de ætatibus erit quæstio.

Hepar totum ferè venis est conflatum, ast venæ sunt ampliores multò arteriis sanguinem ad eas deducentibus, ergo velocitas sanguinis tantùmdem in illis minor est futura. Prætereà sanguis ad hepar accedens per longas arteriarum & venarum ambages transcurrit, ergo plures affictus passus, seu magis retardatus accedit, ibi verò ex venæ portæ truncō in ejus ramos truncō multoties ampliores derivatur novis affictibus vasorum minimorum exponitur, & rursùs in venas hepaticas, bis venosus trajicitur, quod sine maximâ retardatione fieri non potest, maximè quia nbi sanguis renovatur, ibi spissior evadit, undè majores motas necere debet.

Ex superius dictis liquet alternam esse cordis totius systolem & diastolem, easque esse arteriarum & auricularum systole & diastole

& erochronas, fortè & æquitemporaneas.

Patet arterias omnes & auriculas eodem ambolo cordis simul dilatari, iterumque dum cor est in diastole, omnes contrahi arterias & auriculas.

Patet rursus quantitam quâ arteriæ pulsant & dilatantur continuo à corde recedendo decrescere, quandoquidem decrescit renixus mutuus columnarum sanguinis; & præterea eadem sanguinis moles minus dilatat summam vasorum majorem quam minorem, ut norunt Geometræ.

Patet iterum cur venæ vix pulsent aut nul latenus pulsent. Cur ex etiamsi debiles aquæ resistant suo sanguini ac arteriæ multo firmiores harum viribus proportione respondet sanguinis ad latera diffluxus.

Liquet etiam non intrà idem temporis spatium omnes sanguinis è corde ejecti guttulas ad cor reverti, plures vero per annos integros in minimis vasis cessare, ut docuerat doctissimus Kaillius. Patet demum cur cor sit primum vivens & ultimum moriens.

FINIS.

Boerhaave de sensibus internis.

Tom. 3. p. 250. n. 1.

Ira motus omnes auget, tunc circulatione
et qua rubor, calor, trepidatio, et secretionum
ubique stimulationes, sanguinis profusiones,
omn. Boerh. t. 1. p. 461, 452. Hildan. Epist. 1.
hinc frequentes apoplexia, cicatrices rustae
Hildan Epist. 1. inflammationes, Id. cent.
obs. 18 tum biliis effusiones Pechlin obv. 3. n.
hinc alii motus Hildan. cent. 1. obs. 18.
perfricationis augmentum Sancetor. VII. n.
pag. 451. Hac opinia si ab suas causas retula
vesperies necatio nervis imperium esse debere in Tg
ut motu spirituum modo initato modo diminuto
etiam Tg celerius eat vel retardetur. Ergo vidu
nervi, qui instar laqueorum arterias circumlectu
in ira et quædico, alternis concussionibus incitari
arteriori Tg inflatum: in timore et mœvre
lenius, perpetua strictura eisdem arterias coen
tre Tg ad spates effluere possit. Hos laqueos
invenio in arteria cervicis interna, temporis
meningea majori, vertebrali &c.

